

ut Theologi asserunt. QUARTO, ac postremo, quia inter alia omnia corpora nobilissimum locum, supremum videlicet, possident cœlestia corpora; Quo autem corpora sunt superiora, eo etiam nobiliora existi mari debent, ut philosophi omnes fatentur. Ut enim terra omnium elementorum infimum est in situ & loco, ita quoq; in dignitate postremum existit: Cui in nobilitate succedit aqua, quia superiorem occupat locum: Deinde sequitur aer, quoniam sua leuitate aquam trãscendit: Ultimo ignis principatum inter omnia elementa obtinet, cum sit supra omnia collocatus. Accedit etiam ad dignitatem corporum cœlestium, quod habent accidentia nobilissima, nimirum & motum, & figuram circularem, ut suo loco ostendemus, lumen, & alia huiusmodi; ut non immerito Aristoteles hæc corpora videatur diuina nuncupasse.

QUOD si modum demonstrandi, quo ritur Astronomia, consideremus, non solum omnes naturales disciplinas hæc scientia longe superabit, sed nec inter Mathematicas scientias infima existimanda erit. Adhibet. n. ad ea confirmanda, de quibus agit, demonstrationes efficacissimas, Geometricas nimirum, & Arithmeticas, quæ ex sententia omnium philosophorum primum certitudinis gradum obtinent. Quare non sine ratione ex viroque capite, nempe nobilitate subiecti, & certitudine demonstrandi, voluit Ptolemaeus ad initium Almagesti, Astronomiam simpliciter inter reliquas scientias esse primam. At enim philosophiam naturalem & Metaphysicam, si modum demonstrandi illarum spectemus appellandas potius esse coniecturas, quam scientias, propter multitudinem, & discrepantiam opinionum.

DE UTILITATE ASTRONOMIÆ.

QUANTA sit huius præstatissimæ scienciæ utilitas, immo verò necessitas, vix explicari potest; Ad omnes siquidem disciplinas videtur Astronomia viam quodammodo parare, & aditum monstrare securum. Conducit enim in primis plurimum sacræ Theologiæ; Nam consideratione orbium cœlestium, ac motuum semper eodem modo, & inuariabiliter sese habentium, cognoscitur magnitudo, excellentiaq; creatoris ipsorum; Ut non immerito Ptolemaeus in principio Almagesti asseruerit, hæc vna in scientiã esse viam, ac semitam ad sciendum Deum altissimũ. A qua sententia non abest D. Paulus ad Rom. i. vbi ait, Inuisibilia

B Dei